

ria, Viennense, Passaviense, & Universitatis reducuntur. Tribunali huic suprema in præfatas Provincias concessa potestas est, neque communes solum, sed & privatas Incolarum, ac aliorum causas discernit: quem in finem diversis ex Statibus apta deliguntur subjecta, ex Statu Comitum & Baronum videlicet, Equitum, & Doctorum, qui secundum jura causas decidunt, & suam opinionem edisserant, præsent tamen Regimini huic Excellentissimi Urbis Locumtenens, & Cancellarius, quorum officium est aliorum sensus audire, & decretivam sententiam stabilire.

Alterum Tribunal priori & loco & dignitate, uti loquitur Lazius lib. 3. cap. 3. ferè par, Cameraticum, seu Fiscale nuncupatur, in quo rationes pecuniariae suscipiuntur, & confirmantur, Provinciarum, Civitatumque administrationes, officiorum stipendia, & salaria statuuntur. Constat Tribunal hoc viris nobilitatis, & Arithmeticae scientia insignibus, quibus Archiducis loco Camerae Praeses, Romanis olim ærarii Praefectus appellatus, præficitur.

Aliud est Tribunal Provinciae Mareschallicum, ad quod Provinciales Austriae referuntur omnes. Consurgit ex triplici Prælatorum videlicet, Dominorum, & Equitum statu, suum & hoc habet Præsidentem, quem Mareschallum, qui Romanis olim Praefectus Praetorii vocabatur, nominamus, huic de Provinciae, ac Particularium ejusdem personarum negotiis tractare convenit, in Comitibus locum primum obtinet, & quæ pro communi bono expedire videntur, secundum æquum decernit, subordinatum tamen hoc Tribunal est Regimini, ad quod partes litigantes ab illo quandoque appellant.

Præter præfata Tribunalia alia adhuc Viennensis Urbs memorat, quorum administrationes à supradictis sunt separatae, Consistorium videlicet Passaviense, Viennense, & Uni-

versitatis, bina priora, quæ Ecclesias proprias, Parochos, Casus conscientiae, aliaque ad communem ædificationem, fidei Catholicae augmentum, animarumque bonum concernunt, examinant, leges condunt, lites componunt, &c. Qui Consistoriis his præsent Celsissimorum Episcoporum utriusque Diocesis, sunt Officiales, habentque singuli Notarium suum & Assesores. Consistorium Universitatis forum speciale habet, idque mixtum, non solum quoad Jurisdictionem, aut Judices, & membra, sed etiam quoad causarum criminalium, & civilium cognitionem absolutam, & jus membra sua excommunicandi, & absolvendi, sibi à Pontificibus concessum. Vid. Bullam Martini Rom. Pont. Florentiae 6. Calend. Jun. anno 1420. emanatam. Ad hoc Consistorium pertinent, omnes illi, quotquot ad artes liberales referuntur, & ab Alberto Contracto, & Rudolpho IV. Austriae Archiducibus 1360. constitutum est, ut Lazius lib. 3. c. 2. Primum, quem caput Consistorii venerantur, Rectorem Magnificum appellant, qui quatuor Facultatum Decanos, & totidem Nationum diversarum Procuratores, aliosque Consistoriales sibi habet in Consistorio Assistentes, de quibus omnibus titulo *Universitatis* pluribus.

Aliud denuò Tribunal est Magistratus Civici, ad quod Cives omnes tam intra, quam extra Urbem degentes pertinent: Habet hic Magistratus Consulem & Judicem, illius est res testamentarias, & Codillos approbare, rejicere, Tutores constituere, Civitatis commoda procurare, mala avertere, &c. hujus verò causas criminales examinare, debita, aliasque lites componere, &c. Cuius Curia specialis, & 12. Senatores assignati sunt, quibus Principis loco assignatus est unus, quem Civitatis Vicarium, vulgò *Stadt-Anwalt* appellant.

TITULUS IX.

Litteræ, & Universitas.

Quanto jam à primis annis fuerint in præcio Litteræ, liberalisque disciplinae, plenæ sunt librorum paginae, & varia per orbem tot impendiis erecta Lycea abundè demonstrent, loquuntur tot Cæsarum sensa, tot decreti Professoribus Censuræ, tot domicilia per Urbes, & oppida litterarum auditoribus instructa: Certò Macedonum Principi tanti erat vel unus Poëta Homerus, ut libros ejusdem, si Plinio fidem damus lib. 7. cap. 29. auro gemmisque diviti includeret scrinio, neque suavius se quiescere crederet, quàm si eosdem capiti una cum pugione supposuisset: Quid, quod divini litteratis, ab antiquis nostris statuti honores, statuae ac Colossi positi, sepulchra & Mausolæa Regia post eorum sunt mortem constituta?

quid, quod orbe toto separata à nobis, ac litterarum rudes Americanae gentes ab Hispanis subactæ litterarum usum certissimum Divinitatis argumentum esse putarent, cum chartæ scriptæ vocem occultam inesse animadverterent? Cleza tom. 2. histor. Peruan. cap. 34. quæ omnia luculentum dant testimoniū, summamque Viennensium Urbi accedere gloriā ex florentissima illa, ac fecundissima sapientiæ Matre litteraria Universitate, ex qua tot indies litterati prodeunt Filii, tot tam sacræ quàm profanæ reipublicæ decora progignuntur; ut vel ideo mihi non leviter deliquisse viderer, si hanc Viennensis Civitatis non modicam gloriā præterissem.

Universitas itaque Viennensis ut refert
 Specul. hon. Domus Austriacæ, & Lazius lib. 3.
 cap. 3. à Friderico H. Imp. anno 1237. devicto
 Friderico Austriæ Duce, & Viennâ in Civita-
 tum Imperii numerum adlecta penes S. Steph-
 anum est erecta, ac à sæcularibus Professoribus
 administrata, sed ab Ottocaro postmodum
 scientiarum amante Principe, & Bohemiæ Re-
 ge, Ducæque Austriæ pluribus proventibus, &
 Magistris anno 1356. aucta, ac ad Aulam no-
 vam Ducum ad Urbis mœnia traducta fuit;
 sed qualiter rebus omnibus pretiosis usuvenit,
 quæ parvæ primùm in amplam crescunt Maje-
 statem, ita huic est factum Universitati, & à
 modico fundamento in tantam, quam nunc mi-
 ramur, propagata est dignitatem: Albertus
 enim secundus advocatis Parisiis purpuratis
 Theologis, ut dignam sui relinqueret memo-
 riam, novam aggreditur Fabricam, & propè
 PP. Patrum Augustinianorum Ecclesiam in lo-
 co, quem nunc forum porcorum nuncupamus,
 splendidum erigit Collegium, in quo florerent
 studia, & Artes liberales promoverentur: ve-
 rum Rudolphus IV. Austriæ Dux, qui aptius,
 & à turbis remotius selegerat spatium, eam ad
 Portam Stubensem transtulit, eique relicta
 Templariorum ædificia consignavit, mille quot
 annis florenis censum auxit, & in formam Aca-
 demicæ reduxit, quam tamen anno post 1388.
 uti Spec. hon. Austr. l. 4. c. 2. Albertus III. cum
 trica nuncupatus longè illustriorem reddidit,
 dum non solum ab Urbano Romano Pontifice
 confirmationem obtinuit, sed insuper Mache-
 seos Professore adiecit, ipsùmque Professo-
 rum numerum ad triginta, quos inter Theolo-
 giæ 3. Juris 4. Medicinæ 3. Philosophiæ & lin-
 guarum 20. erant, qui tamen numerus postea
 teste Lazio à Ferdinando II. geminatus est, am-
 pliavit. Mansit status hinc Universitatis usque
 ad annum 1622. quo vocati ut supra diximus
 anno 1551. à felicitis recordationis Ferdinando I.
 Rom. Rege Soc. Jesu Patres Universitati huic
 inviolabiliter, & in perpetuum favoribus Au-
 gustissimi Imp. Ferdinandi II. sunt uniti, qui lit-
 terarum amore, & earundem promovendarum
 zelo inductus locum illum, quem Rudolphus
 IV. pro Academia destinaverat, illis consigna-
 vit, Collegium celebre, Templum, scholas,
 omniæque ad Universitatem necessaria ædifica-
 vit: & quoniam adhuc locus iste angustus vi-
 debatur, præter domus illas, in quibus Studiosi
 quidam certis foundationibus, & Bursis, ut vo-
 cant, ad id constitutis alebantur, alias adhuc
 à civibus præfatus gloriosissimus Imperator
 coëmi, & in usum Patrum tradi mandavit, quo
 factum, ut indies copiosiori Scholarium affluxu
 Universitas cresceret, & inter primarias, & ce-
 leberrimas, quæ cum omnibus aliorum Regno-
 rum, aut Provinciæ Universitatibus jure
 competere possit, Academiæ ab omnibus viris
 doctis recensatur.

Habet Universitas hæc suum, qui annis sin-
 gulis ipso festo D. Andreæ die publicè in Audi-
 torio præsentibus Reverendissimo & Amplissi-

mo Domino Episcopi Viennensis Officiali, ac
 Universitatis Cancellario, Perillustri ac Magni-
 fico D. Superintendente Cæsareo, R. P. Collegii
 S. J. Rectore, Proceribus Universitatis, reliquis-
 que Dominis quatuor Facultatum Doctoribus,
 à quatuor Nationum Procuratoribus solemnè
 ritu eligitur, Rectorem Magnificum, qui quot
 annis ex Facultate alia ordine debito suscipitur
 ita, ut Theologico succedat Jurista, huic Medi-
 cus, post istum alius ex Facultate Philosophica
 in hoc officium assumatur. Ea autem Rectoris
 Magnifici est dignitas, ut in publicis actibus,
 aut Processionibus primùm à Cæsareis Maje-
 statibus locum capestat, hujus est Universitatis
 tractare negotia, & criminalibus præsidere, par-
 tes adversas componere, & quidquid ad artes li-
 iberales pertinet, in Academiæ majus decus, &
 ornamentum dirigere; quod ut felicè cedat,
 singuli ei ex quatuor Facultatibus Decani, qua-
 tuor item Nationum Procuratores, Austriacæ
 videlicet, Rhenanæ, Hungaricæ, & Saxonicæ,
 & quatuor quos in Facultate quavis Seniores
 nominant cum binis Assessoribus sunt assignati,
 cum quibus in Consistoriis, quæ quot hebdo-
 madibus regulariter bina celebrantur causas
 tam civiles, quàm criminales audit, & senten-
 tiam decedit.

Et quoniam quivis ex quatuor Facultatum
 Doctoribus Dignitatis hujus de se capax sit, So-
 cietas tamen ad demerendam Universitatis be-
 nevolentiam liberè, & spontè suâ omni Jure
 etiam ex Electione passiva oriundo renunciavit,
 & quidquid in Academico Rectoratu est hono-
 ris, & dignitatis, id totum volens libens Domi-
 nis Doctoribus quatuor Facultatum, qui de So-
 cietate non sunt, reliquit, unde vicissim Uni-
 versitas ad contestandum suum benevolum er-
 ga præfatam Societatem animum declaravit,
 ita hanc Collegii cum Universitate unionem se
 recipere, ut nolit quidquam Societatis Jesu in-
 stituto, aut studiorum rationi præjudicare;
 quamobrem R. P. Collegii Rector, ipsaque So-
 cietas in Collegii personas omnes, quæ in Uni-
 versitate litteras docent, aut audiunt, aliud ve
 in iis gerunt officium omnem eam de illis di-
 sponendi potestatem, aut eorum Ministeria di-
 rigendi, jus & auctoritatem servabit, quam in
 eas ante unionem habuisset, eamque in reli-
 quos Scholares, qui Patrum de Societate lectio-
 nes excipiunt, aut in Seminariis degunt, reti-
 nebit auctoritatem: hoc insuper honoris R. P.
 Collegii Rectori tribuit Universitas, ut in acti-
 bus Academicis sedeat, & locum occupet im-
 mediatè post D. Superintendentem inter Uni-
 versitatis Proceres relatus.

Scholas quod attinet, mansuetiores qua-
 tuor ob majorem studentium commoditatem
 binis in locis, domo Professa videlicet, & Col-
 legio docentur, ita tamen, ut illæ Collegio sint
 subordinatæ: reliquæ, ut Poësis, Rhetorica,
 linguarum Græcæ & Hebraicæ cognitio, Philo-
 sophia, Controversiæ, & Theologia utraque
 cum annexis Secundariis lectionibus à deputa-
 tis à Societate Professoribus, quæ eos per Fa-
 culta-

cultatem sibi concessam ad Doctoratum Facultatis propriae sine praevio publicae repetitionis actu promovet, Auditoribus in consuetis Universitatis scholis, de quibus ante, proponuntur. Scripturam tamen, Jus Canonicum, & Theologiam etiam ex Ordinibus aliis Viri docti & Religiosi ob id stipendiati praelegunt, licet sub titulo tertiae, & quartae Lectionis etiam priores binae scientiae à Doctoribus Societatis Auditoribus copiosis explanentur. Reliquae binae Facultates, Medica, & Juridica in constitutis ad id propriis Collegiis Professores omni litterarum doctrina excultos, qui suos instituunt, copiosos recensent, ut mirum alicui videri non debeat, tot ex Facultatibus singulis procedere viros doctissimos, cum necessarium prorsus sit, à fontibus clarissimis rivulos limpidissimos prodire.

Et ut de primo Universitatis decore pauca quaedam delibemus, de honorum Gradibus, quibus exercitati in arena literaria milites ornari consueverunt, hoc loco differendum venit. Excogitati sunt jam ab immemorabili tempore à veteribus Philosophis bono utique plurimorum consilio certi dignitatis gradus, quae ad bonarum Artium studia incitaretur juvenus, & progressi in doctrina sublimiori Auditores decorarentur, unde ut Nazianzenus in Monodia Author est Caesariensis Basilio M. honoris, & Professionis insignia ex more conferre voluerunt, quamquam ipse propter singularem modestiam eadem repudiavit. Quando tamen, & ubi certus promotionum ordo, & nomina, singularumque Facultatum leges sint introductae, non satis inter Authores est compertum: alii Bononiae, aut Parisiis circa annum Dom. 1120. primò coepisse affirmant, cum enim Gratianus Juris Canonici, Petrus Lombardus, sacrae Theologiae Epitomen conscripissent, qui Gratiani decretum, aut Lombardi sententias didicissent, vel perlegissent, Doctores appellari ceperunt: verum, ubi numerus eorum in immensum creveret, de certa quapiam profitendi ratione cogitatum, & singularum Facultatum leges introductae sunt, ut Autoritate publica à Scholasticis conventibus solemnibus, & accuratà disquisitione prius facta (nam Codicillares Doctores, qui Pontificum, aut Principis diplomate honorarios titulos consequuntur, post accesserunt) certum eruditionis & virtutis testimonium habituri crearentur. Constitutum quoque tempus est, quod in studiis ante solemnem illam gradationem consumere oporteret. Gradus autem praecipui tres sunt. Primus eorum, qui Tyrocini depositi insignia accipiunt, Baccalaurei appellantur: Alter eorum, qui Prodoctores, seu Licentiati dicuntur, tertius Doctorum, & Magistrorum est apex supremus. Verum alii multò aliud publicarum promotionum Originem repetent, ab Augusto Caesare proflexisse affirmant: Cum enim haecenus promiscue de Jure responderent, & lucri causa parum aliquando consideratè, Augustus Caesar decrevit, ne quis posthac sibi eam usurparet Facultatem, nisi Principis Autoritas accederet, inservien-

tè publicorum Gymnasiorum examine: Certè Adrianus Imperator Viris quibusdam Praetoriis hanc Jurisdictionem citra examen petentibus respondit, eam rem non peti, sed praestari solere: Principes non conferre, nisi prius se idoneos esse demonstrarent, & publica Autoritate optimorum Curialium Consensu promoverentur, quod ipsum etiam Justin. in l. Magist. Cod. de Profess. l. 10. ut Zasius l. 2. ff. de Origine Juris testatur, rescripsit. Sed quidquid de Antiquitate, aut Origine graduum disceptent alii, certum esse pro comperto habemus, Viennensem Civitatem aliarum Academiarum seu legibus, seu consuetudinibus acriter insistere, nihilque eorum negligere, quae aut in sui majus decus, Ecclesiae, aut Reipublicae incrementum, singulorum cedere possit utilitatem: unde Facultas quidem Philosophica praeter disputationes solitas, tam publicas, quam privatas, bina quot annis temporum statuit spatia, quibus bene meritos, ac à quatuor ad id per Facultatis membra electis Judicibus bene probatos, Physicos, quidem ad Baccalaureatum, Metaphysicos verò ad ipsum Magisterii supremum gradum extollat: quod eam semper pompa peragit, quae à numerosa promovendorum copia, Honoriorum nobilitate, Caesarei Ablegati Autoritate, Doctorum ex omni Facultate multitudine, tubarum, tympanorum clangore, & festivo Auditorii apparatu, plurimum accipit splendorem, & commendationem. Reliquae Facultates in Cathedrali S. Stephani Ecclesia, erecto ob id in templi medio sumptuoso pegmate, Eruditorum frequente concursu, sub campanae majoris pulsu, invitatis ad solemnitatem, & ordine, ac longà serie, ab Universitatis quadam domo per plateam publicam ad Ecclesiam procedentibus Facultatum Doctoribus suis (postquam secundum leges examinati bene, & probati fuere, debitam Doctoratus lauream impertiunt: accedunt in solemnitatis majoris argumentum compositi Libelli, qui ab Humanitatis Classe Baccalaureis, à Facultate Oratoria Philosophiae Magistris, ab aliis, reliquis promotis aequè, ac Hospitibus unà cum Catalogo, chyrothecis, & à propriis Condiscipulis oblatis libellis offeruntur. Et ne suus Mansuetioribus litteraturae Discipulis desit stimulus, praeter majus coram SS. Majestatis annis singulis ipso festo S. Xaverii die produci solitum Drama, ubi ab eadem Caesarea Munificentia diligentioribus decernuntur praemia, quinæ per annum à quavis Poeseos nempe, & Rhetoricae classe adornantur Declamationes, & concertationes litterariae, in quibus Victorum nomina referto coram Virorum eruditorum auditorio promulgantur) quod idem quatuor classes reliquae semel per anni spatium bono studiorum profectu, & doctrinae in Juvenibus incitamento exsequuntur. Multa adhuc essent quae de Universitate hac differenda superessent, sed quia nota omnibus lubentes ea praetermittimus, ac ad alteram quam Academiam vocant, transimus.

Fundata hæc est à Provincia ante annos non multos, ac in Suburbii: picarum platea dicta, ante portam Scotenſem ſita: degit in hac copioſa Nobilium juvenus, qui à Regionibus etiam exteris confluentes, tam in litterariis, quam aliis nobilitate dignis ſtudiis imbuuntur: diverſi in hunc finem Artium, linguarum, Juris, &c. ſunt designati Profeſſores, qui ſtatutis temporibus ſoluto ad id annuo ſtipendio in ea, quam quiſque addiſcere velit liberalium artium diſciplina eos erudiant, & non niſi in iisdem excultiſſimos manumittant.

Referimus pariter ad titulum iſtum Artes liberales alias, in quibus Juventus nobilis inſtruitur; quem in finem variæ ſunt erectæ domus, & Amphiteatra, in quibus, equitando, ſaltando, digladiando, aliſque tam militaribus, quam nobilibus exercitiis, ab excellentiſſimis quibusque ſua in Arte Magiſtris inſtructi profectum faciunt ſingularem, hinc erectæ Scholæ equeſtres, tam intra Civitatem ad ipſam aulam Cæſaream, ad quam ex Regia per ambitum patet acceſſus, in qua Sacræ Cæſareæ, Regiæque Majeſtatis Ephebi ſtatutis diebus, ac temporibus erudiuntur, quam extra Urbis mœnia ad pauld ante memoratam Academiam, in qua nobilitas plurima ſe exercet, quibus, quamvis hiſ adnumeranda non foret, adnectimus pugilarem ſcholam, apud cervum aureum, in qua ſingulis propè Dominicis diebus ſua Opifices ludicra exhibent prælia, & ſecundum cujuſque morem, ac inſtitutum jam hoſtis oblongis, jam frameis ligneis, jam aliis pro diverſitate inſtrumentis ſe jovialiter ſimul, & artiſcioſè delumbant: quibus in artiſciis & aptos ſe, & expetitos

ad hoſtiles (ſi neceſſe foret) retundendos impetus efformant.

Cum litteris erectæ, & inſtructæ præclariffimis Auctoribus Bibliothecæ non exiguo ſint emolumento, & Urbibus ſplendori, aliquas in genere eâſque celebriores merito hunc ad titulum revocamus; & ne longi ſimus, Principatum, uti æquum eſt, obtinet Auguſtiſſimi Cæſaris Bibliotheca, quæ tam quoad copiam (multa enim librorum millia continet) quam quoad ſplendorem, Authorem impreſſorum, Codicum M. S. Antiquariorum, omniumque eorum, quæ Bibliothecam Cæſare dignam ornare poſſunt, aut in ea deſiderari, debitum apparatus inter primas, & celeberrimas, non unius Urbis, ſed ut communis ſenſus eſt, Orbi univerſi numerari poteſt: Habent quoque Bibliothecam ſplendidam, eamque publicam RR. PP. Ordinis Prædicatorum D. Dominici, quam ob foundationem, Windhagianam appellant, celebris ea eſt; & viſu digniſſima: Facultates quoque ſuas ſeparatim variis in locis erectas, non ſolum ſuæ Profeſſionis, ſed etiam omnigenarum rerum Authoribus habent inſtructas Bibliothecas, neque etiam Collegium, Monasterium, aut Religioſam Communitatem reperire eſt; in qua non præclariffimas copioſis planè, & exquisitis Authoribus locupletes, & omni eâ pompâ, quæ Religioſæ non adverſetur modetiæ, divites mirabere Librorum, Tabellarum, Globorum, Inſtrumentorumque variorum, ut ita loquar, Officinas, ut quaſi tot litterariis armata loricis, quod libris prædeat adverſus ſegnem ignorantiam pugna Viennæ, ſibi que doctrinæ palmam, & triumphum adverſum alios polliceri facile queat Artium liberalium aut hoſtes, aut Rebelles.

TITULUS X.

Artes Mechanicæ.

AB Artibus liberalibus ad manuaras ducimur, quæ & Urbium commendant magnificentiam, & augent ſplendorem. Sunt hæ in Urbe hac noſtra tam copioſæ, tam exquisitæ; ut ad expoliendum quod rude eſt, ad elaborandum quod informe, divino munere Vienna data, imò nata videatur. Labet hic eas ordine recensere, quo in ſuas ſingulæ diviſæ Tribus, ſuo Tribus ſtipatæ labaro, & ſuo labaro Tutelari Divo inſignita, ſub ipſa Theophoriæ ſolemnia dignum non tam artis omnigenæ, quam devotionis intuentium oculis præbent ſpectaculum.

1. Tribus Fabrorum Lignariorum eſt, ſuoque in vexillo hinc magnum Chriſti Nutritium D. Joſephum; inde Noëmi arcam oſtentat.
2. Murariorum, & Lapididarum hinc SS. Nicoſtratum, & Symphorianum; inde SS. Caſtorium, & Claudium.

3. Scandulariorum: hinc D. Cuſtodem Angelum; inde domum Lauretanam.
4. Arculariorum: hinc Deiparentem Virginem; inde arcam foederis.
5. Fabrorum Serariorum, & Horologiopæorum: hinc Sanctiſſimam Virginem MARIAM; inde S. Leonardum.
6. Sapanariorum, Salfamentariorum, & Caſeariorum hinc S. Oswaldum; inde S. Euſtachium.
7. Coquorum: hinc Chriſti Aviam Divam Annam; inda nuptias in Cana Galilææ.
8. Carbonariorum: ex utraque vexilli parte Dei Matrem Virginem exhibet.
9. Carpentariorum: hinc S. Eliam; inde Divam Catharinam.
10. Tornatorum: hinc Jeſuum tornatoriæ artis Juventute Studioſum; inde Divam Mariam Magdalenam.